

tudine observari, & fiscum rerum commissarum possessionem propria autoritate apprehendere posse, post alios testatur. Koppen. *decis. 50. num. 11.* Hæc commissi pæna transit etiam in heredes ejus, qui fraudati vectigalis delictum admisit. *d. l. 14.* licet lis cum defuncto contestata non fuerit, modo heres rem possideat. *d. l. 14.* Georg. Christoph. von Bölnig/ *Gymnas. de regal. vectigal. jur. c. 5. n. 2.* Socio non vergit in præjudicium, si socius rem communem vehens inscio altero (aliud dicendum, si particeps doli fuerit) fraudulenter solutionem vectigalis omiserit, sed fraudantis saltim pars publicatur. *arg. l. 14. arg. l. 8. §. 1. ibique Br. & l. 11. §. 2. l. fin. §. 11. de publican.* facit etiam ratio *l. 22. C. de pan.* Rosenthal. *synops. jur. feud. c. 5. concl. 41.* Dissentit Petr. Frideric. Mindan. *lib. 2. de Mandat. c. 43. n. 8. per l. 52. §. 2. & 3. pro soc.* Quæri etiam potest, si auriga, mulio, nauclerus vel famulus vectigal solvere dolose intermiserit, an merces Domini, vel potius res eorum propriæ (equi, currus, &c.) applicandæ sint fisco? Affirm. posterius per *l. 8. §. 1. l. cotem. n. §. 2. l. 14. l. ult. §. 11. de publican.* Dn. Wurmser. *Exerc. 6. q. 18.* sed an præter rem commissam insuper & ipsum vectigal peti poterit? vid. Bocar. *c. 2. n. 213.* In foro Saxonico vectigalia non solventes arbitrarie puniuntur. Dn. Carpzov. *p. 4. const. 41. d. 15.* Notandum hîc, quod multi dentur casus, quibus à pæna commissi quis excusetur, quos congeffit, Sixtin. *lib. 2. c. 6. n. 174. add.* Dn. Hahn. *obs. ad Wesenb. de public. & vectig. n. 4.*

§. II.

Ad omissionis delictum videtur etiam referri posse, quando Cives bonâ sua non candide profitentur, sed quædam reticent in fraudem fisci, ut minus census pendant; nec non quando Magistratus Imperii negligenter à transgressoribus pænas per Imperii constitutiones eis impositas exigunt, quo casu ipsi Magistratus pænas fisco solvere tenentur, v. g. si negligentes sunt in retundendis monopoliiis, 100. marcas auri. Reformation Güterpolicey/ *de Anno 1548. & Policenordnung zu Franckfurt/ Anno 1577. rubr. die Monopolia und schädliche Fürkauff belangend. §. Zu dem soll auch 2c.* Aliud exemplum habetur in eadem constitut. tit. von wucherlichen Contracten. 17. §. dieweil aber solche. *in fin.*

C

§. 10. Hactenus